

At Christus ad hoc datus est, vt propter eum
donentur nobis remissio peccatorum, & spiritus san-
ctus, qui nouam & æternam vitam ac æternam iusti-
ciam in nobis pariat. Quare non potest lex vere fie-
ri, nisi accepto spiritu sancto per fidem. Ideo Paulus
dicit legem stabiliri per fidem, non aboleri, quia lex
ita demum fieri potest, cum contigit spiritus sanctus.
Et Paulus docet .ij. Corinth. .iij. velamen quo faci-
es Moisi tecta est, non posse tolli, nisi fide in Chris-
tum, qua accipitur spiritus sanctus. Sic enim ait, sed
vsq; in hodiernũ diem cum legitur Moyses, velamen
positum est super cor eorum. Cum autem conuersi
fuerint ad Deum auferetur velamen, Dominus au-
tem spiritus est, Vbi autem spiritus Domini, ibi liber-
tas. Velamen intelligit Paulus, humanã opinionẽ de
tota lege, decalogo & ceremonijs, videlicet q; hypo-
critæ putant externa & ciuilia opera satisfacere legi
Dei, & sacrificia & cultus ex opere operato iustifica-
re coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc ve-
lamen, hoc est, eximitur hic error, quãdo Deus osten-
dit cordibus nostris immundiciem nostram, & mag-
nitudinem peccati. Ibi primum videmus nos longe
abesse ab impletione legis. Ibi agnoscimus quomo-
do caro secura atq; ociosa non timeat Deum, nec ve-
re statuat respici nos a Deo, sed casu nasci, & occide-
re homines. Ibi experimur nos non credere, q; De-
us ignoscat, & exaudiat. Cum autem audito Euange-
lio & remissione peccatorum fide erigimur, concipi-
mus spiritum sanctum, vt iam recte de Deo sentire
possimus, & timere Deum, & credere ei &c. Ex his
apparet non posse legem sine Christo, & sine spiritu
sancto fieri.

N Profitemur